

et consulari, et triumphali patre genitum, quum fortissimum, amplissimum, amantissimum sui exercitum regeret, imperatorem non ab exercitu factum? Eidem, quum Germaniae praesideret, Germanici nomen hinc missum? nihil ipsum, ut imperator fieret, agitasse: nihil fecisse, nisi quod meruit, et paruit? Paruisti enim, Caesar, et ad principatum obsequio pervenisti: nihilque magis a te subjecti animi factum est, quam quod imperare coepisti. Jam Caesar, jam imperator, jam Germanicus, absens et ignarus, et post tanta nomina, quantum ad te pertinet, privatus. Magnum videretur, si dicerem, nescisti, te imperatorem futurum: eras imperator, et esse te nesciebas. Ut vero ad te fortunae tuae nuntius venit, malebas quidem hoc esse, quod fueras, sed non erat liberum. Annon obsequeris principi civis? legatus imperatori? filius patri? Ubi deinde disciplina, ubi mos a majoribus traditus, quodcumque imperator munus injungeret, aequo animo paratoque subeundi? Quid enim, si provincias ex provinciis, et bellis bella mandaret? Eodem illo uti jure posse putes, quum ad imperium revocet, quo sit usus, quum ad exercitum miserit; nihilque interesse, ire legatum, an redire principem jubeat, nisi quod major sit obsequii gloria in eo, quod quis minus velit.

X. Augebat auctoritatem jubentis, in summum discrimen auctoritas ejus adducta: utque magis parendum imperanti putares, efficiebatur eo, quod ab aliis minus parebatur. Ad hoc audiebas senatus populique consensum. Non unius Nervae iudicium illud, illa electio fuit. Nam qui ubique sunt homines, hoc idem votis expetebant; ille tantum jure principis occupavit, primusque fecit, quod omnes facturi erant. Nec hercule tantopere cunctis factum placeret, nisi placuisset, antequam fieret. At quo temperamento, dii boni, potestatem suam fortunamque moderatus es? Imperator titulis, et imaginibus, et signis: ceterum modestia, labore, vigilantia, dux et legatus, et miles, quum jam tua vexilla, tuas aquilas magno gradu